3

VITA
SANCTÆ BONOSÆ
ROMANAE VIRGINIS,
ET MARTIRIS,

Impreſſa curante Stephano Capello de Maradio Fauentinæ diœceſis
Rectore Eccleſię S. Bonoſæ Regionis Tranſliberinæ.



ROMAE,
Apud Heredes Io. Liliotti. M. D. LXXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

VITA
SANCTÆ BONOSÆ
ROMANAE VIRGINIS,
ET MARTIRIS,

Impreſſa curante Stephano Capello de Maradio Fauentinæ diœceſis Rectore Eccleſię S.Bonoſæ Regionis Tranſliberinæ.

ANNO igitur ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ferè ducenteſimo ſeptimo Seuerus impijſsimus adeptus eſt Imperium, qui ſe pertinacem appellari voluit.

Hic natura ſęuus multis ſępe bellis laceſsitus, fortiſsimè quidem Rempub. ſed ſuperbiſsimè rexit. Quintam poſt Neronem perſecutionem in Chriſtianos exercuit, plurimiq. ſanctorum per diuerſas Prouincias martyrio coronati ſunt. Ex quibus extitit virgo beatiſsima Bonoſa nomine nobili quidem proſapia orta, nobilior ſanctitate eſt facta, quæ dum à cunabulis Chriſto credidiſſet multis cæpit pollere virtutibus, ac ieiunijs & orationibus inſiſtens omnipotenti Domino noſtro Ieſu Chriſto quotidie famulabatur.

Eodem quoque tempore, quo impijſsimus Rex Sanctos Dei fortiter perſequi fecerat, comprehenſa eſt virgo Chriſti Bonoſa ab impijs, atq. cum ſumma velocitate ante conſpectum Regis adducta eſt. Quam cum impijſsimus Rex vidiſſet, interrogans eam dixit. Quod nomen ribi eſt? Cui ſancta virgo reſpondit: Bonoſa famula Chriſti vocor Imperator ait: Quis eſt Chriſtus cui te famulari dicis? Bonoſa virgo reſpondit, Chriſtus eſt filius Dei Verbum Patris altiſsimi, quod per vterum Mariæ Virginis de ſinu Patris ad terras veniens humanum genus à captiuitate diabolica redemit. Seuerus Imperator dixit, Et quare nó adoras Deos immortales, quos vniuerſus orbis adorat? Bonoſa virgo Chriſti reſpondit. Et qui ſunt illi quos immortales eſſe dicis? Imperator reſpondit: Iouem, Herculem, Eſculapium, atque Saturnum

Virgo Chriſti reſpondit: Hos quos tu aſſeris eſſe Deos, nos qui fidem Chriſti tenemus, impios, maleficos, atque ſceleratos eſſe decernimus, atque iudicamus. De iſtis enim dicit Propheta, Dij, qui cœlum & terram non fecerunt pereant. De vobis autem Pſalmiſta ait: Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Ad hæc Imperator iratus iuſsit eam mitti in carcerem, præcepitq. non panem, neq. aquam ei dari vſque ad diem ſeptimum. Cumq. introiſſet. Beata Virgo in carcerem ponens genua ſua in terram expanſis in cælum manibus ait. Omnipotens Deus, qui cœlum & terram creaſti, & ex nihilo cuncta feciſti, qui ſedes ſuper Cherubin, & iudicas orbem terræ in æquitate, iuſtoq. moderamine cuncta diſponis, qui omnibus te in veritate clamantibus propè ſemper aſsiſtis, & voluntatem timentium te facis & orationes eorum exaudis, atque ſaluos eos eſſe concedis, exaudi me famulam tuam humiliter deprecantem; cuſtodi corpus meum à poteſtate inimici, vt non corrumpatur, ſed integrum & inuiolabile, quod tibi conſecratum eſt ſeruetur, vt cum Sanctis Virginibus in conſpectu gloriæ tuæ accenſis lampadibus mereatur poſsidere perpetuum Regnum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnigenitum filium tuum, qui tecum & cum Spiritu ſancto ſemper viuit & regnat in æterna ſæcula. Amen.

Statim apparuit ei Angelus Domini confortans eam & dixit: Noli timere, exaudita eſt oratio tua quemadmodum poſtulaſti. Pugna viriliter vt coroneris feliciter; Quia noſti quanta omnes ſancti paſsi ſunt tormenta vt poſsiderent æternæ vitæ palmam? Illa autem corroborata viſione Angelica reddidit omnipotenti Deo gratias. Poſt ſeptimum verò diem iuſsit Imperator duci eam de carcere, cogitans eam iam eſſe defunctam. Quam cum vidiſſet dixit ei, quis tibi panem dedit? Bonoſa virgo reſpondit: Dixit Dominus in Euangelio: Quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Dixit ei Imperator, ſacrifica Dijs immortalibus, & accipe ſponſum nobilem ſecundum generoſitatem tuam, cum quo frui poſsis huius ſeculi diuitijs. Bonoſa virgo reſpondit: Me ipſam offero in ſacrificium Deo viuo, & vero cœleſti ſponſo meo. Dicit ei Imperator: Ergo ſponſum habes? Chriſti virgo reſpondit: Habeo immortalem ſponſum Dominum Ieſum Chriſtum.

Tunc iratus Imperator iuſsit eam expoliari, & fortiter cedi. Quæ dum expoliata fuiſſet, Ita operuit eam Angelus Domini, vt nullus poſſet videre nuditatem eius corporis. Satellites verò Imperatoris nimium ceciderunt eam. Sed Chriſti virgo nec terroribus concutiebatur, erat enim Specioſa nimis, & pulchra aſpectu. Mox Imperator

tradidit

tradidit eam ſuo Præſidi dicens. Accipe hanc puellam, & ſuade ei ſacrificare Dijs noſtris, quod ſi contempſerit diuerſis pœnis eam interficies. Præſes autem accipiens eam lætus effectus eſt cogitans eam reuocare poſſe à Dei ſui cultura, & lateri ſuo ſociari. Alia autem die iuſsit ſibi Pręſes tribunal parari iuxta Romanum portum ante forum, & Sanctam virginem ſuis orationibus ſiſti præcepit. Cui etiam dixit: Conſule pulchritudini tuæ, & ſacrifica Deo Herculi, atque conſenti mihi, & poſsidebis copias auri & argenti, & habebis hæreditarios filios. Bonoſa virgo ſancta reſpondit. Pro certo ſcias Præſes, quia nunquam ſacrificabo Dijs vanis, neque polluar ſordibus alienis; aurum & argentum tu poſside fili Diaboli, qui poſsidere debes æternum ſupplicium. Ego autem habeo æternam hęreditatem in regnis cæleſtibus.

Iratus ad hæc Præſes vehementer iuſsit alapis cædi Sanctam virginem. Miniſtri autem Præſidis cum vellent eam cædere, obſtupebant eorum brachia præ nimio dolore, & non valebant inferre aliquod malum in Sanctam virginem. Sancta autem Bonoſa reſpondit Miniſtris. Nunquid nō videtis virtutē Domini mei Ieſu Chriſti, miſerrimi? Quare non credetis in Dominum meum Ieſum Chriſtum. At illi reſpōdentes dixerunt: Credimus in Deum, quem tu prædicas ò beata virgo. Et crediderūt in illa die quinquaginta milites in Dominum Ieſum Chriſtū, & batizati ſunt à Pontifice vrbis Romæ Pręſule, quos omnes beata Bonoſa de ſancto fonte ſuſcepit, & docuit eos omnem legem diuinam.

Audiens hæc Præſes iuſsit Satellitibus ſuis, vt cum nimia iniuria ducerent beatam Bonoſam ante ſuum conſpectum, quæ cum præſentata fuiſſet dixit ei Præſes: Ego te cogitaui ſapienter & rationabiliter arguere, vt ab inſania tua recederes; Tu autem arrogans effecta tuis magicis artibus deluſiſti famulos meos recedere à cultura Deorum meorum. Bonoſa reſpondit: Inſenſate & impijſsime tyranne, quare non vereris loqui, qui Demonia aſſeris Deos eſſe? Num audiſti quid ſanctus Propheta dicat; omnes Dij gentium Demonia, Deus autem noſter cœlos fecit?

Ad hæc indignatus Præſes iuſsit eam ſuſpendi in eculeo & torqueri. Quæ cum torqueretur Beatiſsima virgo hilari vultu dicebat. Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte Saluator meus, qui me dignatus es aggregare in numero ancillarum tuarum.

Altera verò die ſedens Præſes pro tribunali dedit capitalem ſententiam ſuper eos, qui nuper baptizati erant, qui ducti ſunt foras portam ciuitatis & decollati ſunt octauo idus Iulij, accipientes in Domino victoriæ palmas, quorum corpora ſepulta ſunt non longè à Portu Romano Stadio vno.

Beatam verò Bonoſam in tenebroſo loco trudi præcepit. Quæ cum eſſet recluſa apparuit ei Angelus Domini cōfortans eam,deditq.ei panem cœleſtem, quæ cum comediſſet recreata ſunt omnia viſcera eius. Præſes autem nimis iratus quid ageret ignorabat. Iuſsit Satellitibus ſuis, ut plumbatis cederent ſanctam Bonoſam. Miniſtri autem Diaboli fecerunt ſicut imperatum eis fuerat. Beata uerò Bonoſa pulcherrimo uultu dixit ad Præſidem. Iniquiſsime quid contra me inſanis, putas ne me uincere? Iam nimirum conſtat me ſignatam & conſecratam à Domino Ieſu Chriſto. Tunc Præſes ait ei: Impia quare ultronea conaris, & amittis tantam pulcritudinem? Abnega Deum tuum, & nega te eſſe Chriſtianam, & accipe maritum ſponſum iuuenem,qui dabit tibi precioſa ueſtimenta, & cuncta quæ neceſſaria ſunt; ſin alias deſerui in templo Deæ Veſtæ cum alijs uirginibus, cum quibus habere poteris quicquid tibi libitum fuerit. Ad hæc uirgo Sancta reſpondit: Abſit à me, abſit ut Creatorem meum negem, qui eſt creator,& recreator, formator, & reformator cunctorum omnium, perfecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, uiſibilia & inuiſibilia. Qui Luciferum ſuperbientem à ſublimibus cœlorum ſedibus cum ſuis Satellitibus in infernum depoſuit; cum quibus & uos ô miſeri eſtis arſuri, ubi eſt luctus & gemitus, dolor, & triſtitia inconſolabilis, miſeria ac pœna irremediabilis, ubi ſunt dracones, ſerpentes, uermes, qui nunquam moriantur, ubi perpetua flamma, quæ nunquam extinguitur & unde euadere poteritis ſi crederitis in Deum Patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum filium eius, & in Spiritum ſanctum omnium uiuificatorem, qui præſtat omnium peccatorum remiſionem inſuper etiam regnum condonat æternum, ubi ipſa ſancta Trinitas æqualis regnat in maieſtate ſua ubi gaudent Angeli, lætantur Archangeli, tripudiant Patriarchæ atque Prophetæ,& exultant omnes in gloria ſine fine, ubi adeſt plurimarum roſarum uernantium florum, & uiolarum multarum flagrantia, ubi non eſt dolor neque triſtitia, ſed ibi eſt æternum gaudium, ſempiternaq. lætitia.

Et Præſes ad hæc reſpondit: Hæc ſunt uerba, quæ nunquam audiui, nec aliquando ſum expertus; ſed ideo te puto talia loqui, ut poſſis euadere tormenta, quæ tibi parata ſunt. Beata uirgo reſpondit: Cuncta quæ à me audiſti profectò credere poteris, ſi donum baptiſmi Chriſti conſequeris; Præſes dixit: Iubeo te cum meretricibus tradi, atque cum luſoribus in contubernio lupanari concludi, & poſtquam corrupta fueris ad noſtrum reuerteris conſilium. Sancta Bonoſa reſpondit: Nunquam uirginitatem meam, quam Chriſto Domino conſecraui amittam, nunquam ad ueſtrum declinabo conſilium. Tunc

præſes

Præſes iuſsit uenire lenones,ut acciperent Sanctam uirginem ſuis amplexibus, quod facere Deo iuuante minimè potuernnt. Videns autem hæc Præſes præcepit ingeri flammas circa latera eius, cumq. poſitæ eſſent laminæ candentes vt ſanctæ virginis corpus exurerent, ait beata virgo ad Præſidem, tormenta tua pro nihilo computo, quia Redemptoris mei coronam,quam repromiſit expecto;ſed quia mentem tuam video in felle amaritudinis, & in diabolico conſilio permanere, quicquid tibi videtur exerce. Ad hæc Præſes iracundia ſuccenſus iuſsit eam iterum in aculeo ſuſpendi, & attrahi neruis, & vngulis ferreis eius carnes radi, vt dolore compuncta Idolis hoſtias immolaret. Cum autem vidiſſet Præſes eius mentem prorſus immolabilem & impijs tormentis exultare cordis lætitia, præcepit eam deponi, & in arctiſſima cuſtodia retrudi.

Angelus autem Domini in cuſtodia carceris ei apparuit,magnumq. ibi lumen refulſit, & ait ad Christi Virginem. Conſtans eſto Christi virgo Bonoſa, modicum & ad tempus ſuſtine tormenta, vt accipias æternæ gloriæ coronam, quam dabit tibi Christus ſponſus & Deus tuus. At illa congaudens reddidit omnipotenti Deo laudes & gratias, dicens. Omnipotens Deus, qui ſedes ſuper Cherubin, & profunditatem proſpicis abyſsi, qui cunctarum ſtellarum nomina noſti, cunctorumq. hominum cogitationes à longe cognoſcis,qui Sathan ab ſanctorum tuorum pedibus tua virtute conculcaſti, & miſeros, qui clauſi in inferni clauſtra detinebantur, ad ſuperos reuocaſti. Exaudi me ancillam tuam, & concedi mihi miſericordiam tuam, vt cum finis vitæ meæ aduenerit ab Angelis tuis ſanctis in pace ſuſcipi iubeas animam meam, atque in requiem collocare digneris æternam. Qui viuis & regnas per æterna ſæculorum ſæcula. Amen.

Præſes autem altera die iuſsit ſibi in foro ciuitatis tribunal parari, & ſedens in iudiciaria ſede Sanctam virginem præcepit afferri, cui etiã dixit. Quod conſilium inueniſti, viuendi, aut moriendi? Sancta Bonoſa reſpondit: Conſilium inueni,vt cum Christo viuam in æternum, Præſes autem dixit: Tu Deis ſacrifica, aut ſententiam accipe mortis. Bonoſa virgo reſpondit: Non ſunt Dij, ſed Demonia peſsima; comprobatur, quia nec ſibi, ne alijs prodeſſe poterunt neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ſed erunt in æterna damnatione & tribulatione omnes, qui colunt eos, Præſes dixit, iniuriam meam patienter ſuſtinui, ſed Deorum meorum iam ferre non poſſum. Accede & affer libamina Dijs, ſin autem ſtatim meo gladio interibis.

Sancta Bonoſa virgo reſpondit, Miniſter Sathanæ cur hortaris Dei famulam fidem mutare, quam ab infantia Christo Domino cognoſcis

eſſe

eſſe firmatam, & cum quo ero æternaliter regnatura? Ad hæc Præſes iratus dixit: Sacrilegam Bonoſam, blaſphemiam Dijs inſerentem, & decretis Imperatorum obſecundare nolentem, iubeo capite cædi.

Tunc præcepit ſpeculatori, vt ſuo proprio enſe decollaret eam. Educta eſt igitur virgo Chriſti foras Vrbis portas, & capitalem ſubijt ſententiam idibus Iulij. Ipſe autem Imperator, qui eam comprehendi fecerat eodem anno apud Eboracum oppidum morbo percuſſus obijt. Sic enim Dominus N. Ieſus Chriſtus ſuos vindicat Sanctos, & dat eis gloriam ſempiternam. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Glotioſiſsima virgo Bonoſa ora pro nobis miſeris peccatoribus, cuius feſtum celebratur die quintadecima menſis Iulij.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quia viſa per Reuer. D. Curtium de Franchis Canonicum ſancti Petri in Vaticano.